

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Aus Hannibals Ansprache an sein Heer vor der Schlacht am Ticinus (218 v. Chr.), der ersten Schlacht des Zweiten Punischen Krieges auf italienischem Boden, unmittelbar nach Hannibals Alpenübergang:

„Quocumque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris, veteranum peditem, generosissimarum gentium equites [...], vos socios fidelissimos fortissimosque, vos, Carthaginenses, cum pro patria tum ob iram iustissimam pugnuros. Inferimus bellum infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi
5 quam hostis, quanto maior spes, maior est animus inferentis vim quam arcentis. Accendit praeterea et stimulat animos dolor, iniuria, indignitas. Ad supplicium depoposcerunt me ducem primum, deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis; deditos ultimis cruciatibus adfecturi fuerunt. Crudelissima ac superbissima gens sua omnia sui que arbitrii facit. Cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum imponere
10 aequum censet. Circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos non excedamus, neque eos, quos statuit, terminos observat. 'Ne transieris Hiberum! Ne quid rei tibi sit cum Saguntinis!' Ad Hiberum est Saguntum? 'Nusquam te vestigio moveris!' Parum est, quod veterrimas provincias meas, Siciliam ac Sardiniam, ademisti? Adimis etiam Hispanias, et, inde si decessero, in Africam transcendes. Transcendes autem?
15 Transcendisse dico: Duos consules huius anni, unum in Africam, alterum in Hispaniam miserunt. Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicamus. Illis timidis et ignavis esse licet, qui respectum habent, quos sua terra, suus ager per tuta ac pacata itinera fugientes accipient: Vobis necesse est fortibus viris esse et, omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, aut vincere aut, si fortuna dubitabit, in
20 proelio potius quam in fuga mortem oppetere. Si hoc omnibus destinatum in animo est, iterum dicam, vicistis; nullum contemptu mortis incitamentum ad vincendum homini ab dis immortalibus acrius datum est.”

Hinweis zu Z. 12 f.: Anspielung auf den Ebro-Vertrag zwischen Rom und Karthago, durch den nach dem Ersten Punischen Krieg der karthagische Einfluss in Spanien auf das Gebiet südlich des Ebro begrenzt wurde.